Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



audiens Commodus, iratus jussit eum teneri, et cuidam Vitellio magistro peditum tradi, ut omnes facultates ejus requireret, et ad sacrificandum impelleret. Qui conjecit eum in carcerem, et post triduum catenis vinctum fecit sibi præsentari: et auditum jussit tam diu fustibus cædi, donec emitteret spiritum. Cujus corpus collegerunt noctu beatus Eusebius, Pontianus, Peregrinus atque Innocentius (alias Vincentius) et sepelierunt in cœmeterio Calepodii sub die XIV Kal. Sept. + Usuardus ad eundem diem: Romæ, sancti Julii Senatoris et Martyris, qui, jubente Commodo Imperatore, tam diu fustibus est cæsus, donec emitteret spiritum. ϕ At vero audiamus alium quendam Martyrologum Tamayum: de quo Sollerius ad 19 Aug. Eundem Sanctum (Julium) Hispanis suis annumeravit Tamayus elogio ex Ferrario accepto; cui labori supersedere poterat: at notissima est ejus audacia in Sanctis omnibus Hispaniæ vindicandis, quorum reliquias in eas partes translatas supposuit. Sic igitur hoc die annuntiat: „Placentiæ in „Vertonia Hispaniæ, depositio S. Julii Senatoris „Romani, qui sub Vitellio præfecto imperante Com„modo, per fustium iterata supplicia martyrio „coronatus occubuit. Cujus sacra lipsana Roma, „Urbano VIII Pont. Max. concedente, translata, „ibidem in sacrario custodiuntur.„ Hæc retulisse satis sit ex hujus Martyrologi fide. Ita Sollerius. Cujus ulteriora verba, ipsiusque de reliquiis S. Julii nostri adversionem recito: | Id imprimis quod de corpore in Hispaniam translato, jam Tamayus asserentem, vel potius divinantem audivimus. Nam et si ultro admittamus, sacras reliquias alicujus S. Julii veri aut nominati in eas partes absportatas, inde omnino non sequitur, hodiernum S. Julium intelligendum esse. Haud dubie et locis aliis synonymi Sancti reperientur, quos modo quærere nil opus est. Videor meminisse, dum Romæ studiis theologicis vacarem, sub Innocentio XII, repertum corpus alicujus S. Julii cum inscri-

+ Beda in Martyrol. iisdem pæne verbis.

ϕ Eadem habet Martyrologium Stamsense antiquum.

| De sacro Sancti ipsius deposito nonnulla certo dubia occurrunt.